



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 45. Pax Stapulensis cum Rege Angliæ a Papa confirmata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV. sollicitudo tenebat, ut validum contrahe-
A.C. 1499. ret exercitum, cui Ligniacensem, Albi-
 num & Trivulcium, qui secundum a Re-
 ge militaris imperii locum tenerent,
 præfecit.

§. XLV.

*Pax Stapulensis cum Rege Angliæ a
 Papa confirmata.*

Præterea Galliarum Rex, ut ab omni
 metu vacuus esset, vicinorum Princi-
 pum amicitiam, præcipue vero Angliæ
 Regis, Ferdinandi & Isabellæ Regum
 Catholicorum, necnon Archiducis Au-
 striæ, qui Maximiliani Imperatoris filius
 erat, sibi conciliare conabatur: Equi-
 dem adepto mox regno Stapulensem con-
 cordiam addita etiam Sacramenti reli-
 gione ratam habebat; ast inviolatæ fidei
 suæ testimonium Angliæ Regi redditu-
 rus, eandem quoque pacem a generali-
 bus regni sui Ordinibus ineunte hoc an-
 no apud Nannetes congregatis approba-
 ri, firmarique iussit. Post hæc ad Pon-
 tificem Oratores ablegat, supplices, ut
 foederis hujus pactis suæ etiam auctori-
 tatis firmitatem adjiceret. Alexander
 nil sibi ultra a Galliarum Rege timendum
 ratus, diploma edidit, quo indicta ana-
 thematis poena hanc pacem violare, u-
 trique Regi interdixit. Ferdinandus
 quoque

quoque & Isabella suum Oratorem, Hieronymum de Vico, qui apud Ludovicum Sfortia solidos octo annos legatione pro Hispanis fungebatur, inde revocabant, facta solemnī declaratione, quod imposte- rum in Italiæ turbas nullo pacto, nec quavis ex causa sese ingerere velint, quocirca copiis suis inde evocatis cun- ctas, quas in Calabria tenebant, urbes Friderico restituerunt. Tandem etiam cum Archiduce initum est foedus, vi cu- jus Arthesiani Comitatus urbes eidem reddebantur, ea tamen lege, ut pro Ar- thesia nec non Flandriæ & Carolesii Co- mitatibus Ludovico Regi fidei clientela- ris Sacramentum exsolveret. Id etiam ab Archiduce præstitum, tam insolitis tamen caeremoniis, ut eas speciatim re- ferre operæ pretium esse videatur.

§. XLVI.

Cancellarius Ludovici nomine ab Ar- chiduce homagium accipit.

Enimvero solemnī hæc clientelæ pro- fessio nec in Regia, nec in Regis ma- joribus, sed non nisi Atrebatī in Episcopa- li Palatio peracta est, Guidone de Ru- pifortio Cancellario Regis personam su- stinente. Perampla ibidem parabatur au- la, in qua suggestus duobus gradibus sub- limis exurgebat, in medio ejus collocaba- tur